

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

- 1 Invide, tu tandem voces compesce molestas
- 2 et sine nos cursu, quo sumus, ire pares!
- 3 Quid tibi vis, insane? Meos sentire furores?
- 4 Infelix, properas ultima nosse mala,
- 5 et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
- 6 et bibere e tota toxica Thessalia.
- 7 Non est illa vagis similis collata puellis:
- 8 Molliter irasci non solet illa tibi.
- 9 Quodsi forte tuis non est contraria votis,
- 10 at tibi curarum milia quanta dabit!
- 11 Non tibi iam somnos, non illa relinquat ocellos:
- 12 Illa feros animis alligat una viros.
- 13 Ah, mea contemptus quotiens ad limina curses,
- 14 cum tibi singultu fortia verba cadent,
- 15 et tremulus maestis orietur fletibus horror,
- 16 et timor informem ducet in ore notam,
- 17 et quaecumque voles, fugient tibi verba querenti,
- 18 nec poteris, qui sis aut ubi, nosse miser!
- 19 Tum grave servitium nostrae cogere puellae
- 20 discere et exclusum quid sit abire domum;
- 21 nec iam pallorem totiens mirabere nostrum,
- 22 aut cur sim toto corpore nullus ego.
- 23 Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti:
- 24 nescit Amor priscis cedere imaginibus.
- 25 Quodsi parva tuae dederis vestigia culpae,
- 26 quam cito de tanto nomine rumor eris!
- 27 Non ego tum potero solacia ferre roganti,
- 28 cum mihi nulla mei sit medicina mali,
- 29 sed pariter miseri socio cogemur amore
- 30 alter in alterius mutua flere sinu.
- 31 Quare, quid possit mea Cynthia, desine, Galle,
- 32 quaerere: Non impune illa rogata venit.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. In v.2 hat man für überliefertes **quo sumus** die Konjektur **quaesumus** vorgeschlagen. Diskutieren Sie die beiden Lesearten!
2. Welches Stilphänomen lässt sich in v.26 **rumor eris** ausmachen?
3. Wie ist v.30 **mutua** syntaktisch in den Satz einzuordnen?
Nennen Sie Parallelen!